



Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Excellentissimo Principi D. Marco Antonio Borghesio Sulmonæ Principi, ac
Rossani Proregi jam Neapolitano, %c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40673

EXCELLENTISSIMO PRINCIRI
**D.MARCO ANTONIO
BORGHESSIO**

SULMONÆ PRINCIPI, ac ROSSANI,
PROREGI JAM NEAPOLITANO, &c.

DOMINICUS VIVA SOCIETATIS JESU
Perpetuam Felicitatem .



UÆ due res , grati animi erga Macenates S^r
gnificatio , et præsentissimi Spes Patrocinii , Scriptores movent fere
omnes , ut amplissimis viris opera dicent sua , et in præsenti me
non

non tam nōcent, quam adactis pene calcaribus impellunt, ut Ti-
bi, Princeps Excellentissime, opellam hanc meam nuncupatam ve-
lim. Si ve enim beneficia, quibus tibi obstrictus hæreo (et) quo-
rum vincula una dissolvet, que vitam communis solvet Fati
Necessitas) si ve magnitudinem, ad quam evectus es, intuear,
duplici veluti ex fonte mei hujusc consilii ratio promanat. Atque
ut a beneficio initium faciam, Quanta sane a Tuis in Parentem
meam Societatem Jesu, Quanta a Te in meipsum uberrima sem-
per vena profluxere? Inter sua pene Cunabula Majorum tuorum
fauentissimam Hec experta Benevolentiam, meliori Borghesie Be-
neficentia Succo, ac Sanguine adolevit. Unus mihi instar omnium
est Familiæ tuæ Sidus ne dicam præclarissimum, an Sol? Pau-
lus V. Pontifex Maximus, Quem Parentem suum optimum jure
merito. inclamare Societas potest; cum coorta de Auxiliis Controver-
sia, Eam Scholasticis impeditam procellis, Sedens ipse ad Clavum
proprio firmauit in portu; neutri sane parti victoria adjudicata,
sed Societate (quæ velut reserantis ad errores ostium rea primum
delata est) innoxia abire jussa, suumque cursum nova hac sen-
tentie aura prosequi felicissime. Quid quod quasi parum Illi Mi-
litantem in Terris Societatem tueri, ac juvare fuerit, Eandem
apud Superos triumphantem amplificare, ac novis quodammodo
triumphis insignire voluerit? cum Aloysio Gonzage primum Beati
nomen est elargitus, mox Eidem, ac Stanislaø Koske cultum pro-
movit, deinde Ignatum, ac Xaverium, duo illa maxima So-
cietatis, Terræ, ac Cœli lumina, in Beatorum album adscivit,
solemnemque Ipsorum enixe adeo Apotheosim promoavit, adeo pene
perduxit ad calcem, ut Coronidem hanc Suis in Societatem benefi-
cii mors Illi unice inviderit. Quid vero de meipso dicam? ut ce-
tera missa faciam, ad quantum honoris gradum tenuitatem meam
visus es extollere, cum Academiam hanc nostram Neapolitanam,
ipsamque interiorem Domum benignissime perlustrare dignatus, cubi-
culum meum ultro subire voluisti, ut et præsentia tua illud au-
gustum redderes, et ceteros tenuissimi ingenii mei labores in lucem

jam

jam editos tuo suffragio decorares, ponderosissque laudibus, quæ tua
humanitas est, unicum hoc, idemque maximum iis ornamentum,
ac pondus impertires. Quesnellianas præsertim Theses pro modu-
lo a me confutatas, atque a me Tibi exhibitas, quod earum es-
ses utcum maxime peritus, humanissimo animo excepisti. Hæc
vero summa licet tui animi Comitatis, meorumque beneficiorum
sint argumenta, indicta prorsus velim; majora habeo quibus co-
mitatem dicam, an demissionem Tuam, Tenuitatemque meam
efferam. Cum enim opellam hanc, quam forte id temporis men-
te conceptam, in lucem edere meditabar, Tibi dicandam offer-
rem, vix Tibi mentem meam aperui, cum Te indignum ratus,
cui, ut ajebas, tantum honoris deferretur, precibus in-vitus fuisti
expugnandus, ut illam tibi dicandi tandem copiam faceres. Ma-
ximam sane in maximo Principe animi moderationem, ut ipsam
hanc honoris, si qua est, larvam effugeret! maximum laudis ar-
gumentum, quod nihil magis ad-versarere, nihil a te propulsares
magis, quam laudes tuas. Hoc unice doctus pacto, in ipso Glo-
rie fastigio Heroes crescere, si aliis se submittant, atque ipsum
infra se ducant fastigium: En igitur, Princeps Excellentissime, qui-
bus, quantisque beneficiorum obserata titulis mea, meæque Parentis
Tibi sit observantia. Quidni ergo Parentis ipse mee, meoque et-
iam nomine aliquam tibi rependerem gratiam? & quas Illa, quas
ego referre, atque agere gratias nequimus immortales, animo sal-
tem habere maximas omnium Ego infimus contestarer? Quod tuis
pro merito, ac dignitate respondere beneficiis minime possimus, Tuæ
partim magnitudini, quæ vires longe nostras superat, nostræ par-
tim Tenuitati, que ultro victam se fatetur, vertito. Verum mei-
psum revoco, atque orationem meam retexo. Maximum, Tibique
par munus exhibemus, cum eo Magnitudinis, ac Glorie de-veneris,
ut Maximus ipse maximos etiam Eos reddas, qui præclarissima se-
se Nominis tui umbra tuentur; maxima ea reddas omnia, quæ
tuo donata nomine, tua etiam tecum ipse donas Immortalitate,
quæ alterum est initi a me consilii caput atque causa.

Et

Et re quidem vera, opella huic mee in umbra educate ve-
rendum fuisset, ne eodem cum Authore suo consepeliretur tumu-
lo, suaque audacie in pñam, qua publicam lucem laceſſere
non extimuit, perpetuis obliſionis tenebris damnaretur: Nunc
vero dum Tuо illustrata nomine in diem vocatur, ac Solem,
publicam, ut ita dicam, lucem no-va est luce cumulatura. E-
nī vero tuum intueri nomen opelle huic præfixum satis erit; ut
non Li-vidi, In-vidique tantum, sed Tempus ipsum Scriptorum,
operumque hostis infenſiſſimus, non eam revereatur modo, sed
veneretur, nullaque etatum futurarum injuria opus hoc dari pes-
ſum permittat, quod eo fulcitur nomine, quo elapsæ ad super-
biā inclaruerunt etates, quo intumescent future. Et quidem uno
hoc Borghesiae Familiae nomine quantus Heroum flos, ac splendor
latet! unde vicitur sibi nomen, authoremque suum a tumulo
veluti vindicandum opella iſthac pollicetur? Quanta laurorum
Syl-va hoc inclusa nomine virescit? Ne ego ab omnibus seu In-
vidiae, seu Calumnie fulminibus immunis evadam, si unam tan-
tum ex tot, que te circumstant lauris, benignus concedas. Lauream
in Elysiis arborem latos undique ramos extendere, nec nisi heroibus
datum ad eam accedere, trita omnium auribus fabula est: Domi-
nō vero tue perpetuam laurorum florere Syl-va, Majorum tuorum
qua sudoribus, que sanguine irrigatam, atque excultam, nemini
nem inficias qui eat, fore autumo, dum vel minima sit histo-
riarum cognitione perfusus. Desudasse, atque inter se Fortunam,
ac Virtutem contendisse dicas, ut congeſto, quod ajunt, horreo,
plenaque manu in Majores tuos sua profunderent ornamenta:
que in plures non dicam familias, sed Urbes disperita, iis no-
bilitandis, Cæloque aquandis fuissent. Ad immensam glorie ſe-
gētem ita est Familia tua disseminata, ita honorum omnium ſti-
pendiū circumfluuit, ita pleno fertur alveo, ut non ſe ipsam, ne-
dum tot lemniscatas palmas capere, ut redundare prorsus videa-
tur. Hinc in tante gloriæ partem Neapolitanas, ac preclarissimas
Italiæ familias, ſe iis connubiis jungendo vocavit. Hinc Miran-
dula-

dulana nulli secunda, Boncompagna, Aldobrandina, Odescalca nu-
per ex Braccianensibus Ducibus, Pontificie omnes, Ursina, ad Re-
giam etiam, præter Pontificiam, de-vecta dignitatem, se Tua ar-
etissimo Consanguinitatis vinculo copulata vere, in Tua se glorie fa-
cturas incrementum rata; haud secus, ac dum unum in aliud se
mare exonerat, quo utrumque tumet, atque ditescit augmento. Sed
ne speciosius, quam verius loqui videar, ut aut Tibi, qui eblan-
dito laudum suffragio non eges, offam obtrudere videar aliquam,
aut mihi laudibus hisce tuam demererri velle benevolentiam; ad-
ventitia isthac decora, licet tot ac tanta sint, silentio prætermitto.
Ipsa me vocant Familiæ tuae decora, in qua fixisse sibi Gloria
visa est domicilium. Proh quot mentis oculis majores tui non
turmatim quidem Illi, sed exercitus pene in morem occurunt!
Agmen veluti Nicolaus Borghesius vir in paucis illustrissimus,
ducit, qui licet sanguine Pandolfo Petruccio junctus, cum Senas
Patriam suam Tyrannidem ab Eo invehi præsentiret, consanguini-
neum exuens, ut Patriæ filium ageret, furenti est obnixus, et pul-
chram per vulnera mortem subire non dubitavit. Quod exem-
plum plures ex Nepotibus suis in arctis, egenisque rebus, ac repræ-
sentato publicæ rei discrimine imitati, se communi omnium Bono,
Patriaque incolunitati lita verunt, ut non Italia Græcia, non ha-
berent Senæ, quod Athenis invidenter, que non unum, sed pluri-
mos in una Borghesia Domo Codros est sortita. Tantis vero filii
suis amore vinci Patria eorum Parens benemerentissima non est
passa; cum Illos et Servatores suos, et Patriæ Parentes ap-
pellarit, publicoque sumptu solemnissimis parentarit exequiis. Quar-
tum inter Borghesiæ familiæ sidera lucis afflat Augustinus Ille su-
premus Patriæ Imperator, factis, eto, invidia, fama, atque
admiratione major! Cujus nomine etiamnum afflcta, ac profiga-
ta ab eo toties Florentia expallescit! Quem ad Sigismundum Im-
peratorem legatione fungentem suspexit Vienna, mox ad Callistum
Tertium, ac Julium Secundum stupuit Roma; (eodem non mul-
tis abbinc annis stupore defixa, cum Patrem tuum Regium Ora-
torem ad Clementem XI. agentem, Avorumque decora restauran-

Pars I.

b

tem

tem vidit:) demum fato, honoribusque functum omnibus, suis-
que palmis oppressum; uti Parentem optimum Patria comploravit,
eodemque se cum Illo credidit tumulo consepultam. Facentem ve-
ro illam erexit, et redi vivum in se Augustinum Patrem reddere,
imo cum ipso Virtute pugnare visus est ipsius Filius Borghesius no-
mine, tum in legatione ad Paulum Secundum egregie expedienda,
tum in Florentinis non una cæde cumulandis, tum in eximis in-
genii sui operibus Æternitati consignandis; ut in medio reliquerit,
Gladio ne magis, Calamo, an Lingua valuerit, num laudandus
sit magis, quod facienda scripserit, an quod scribenda gesserit.
Hunc ob operam suam pluries egregie locatam, Calabrie Dux E-
quitem incinxit, summoque semper habuit in pretio: Hunc eodem
loco, atque Augustinum Patrem habuit Patria, cum eadem Patriæ
Parentis nomenclatione inter Plures relatum, iisdem honorum prero-
gati-vis inter Vivos agentem affecerit. Tanti Avi nepotem, tanti
Parentis Filium se Jacobus probavit, cum in supremis magistra-
tibus, difficillimisque Legationibus strenue, excellenterque obeundis,
tum in Civilibus turbibibus sedandis: Quos tamen ut sibi, suisque
impostorum carveret, Romam Familiam suam transtulit. Maxi-
mum nempe Terrarum Orbis universi Theatrum, paremque sibi
glorie campum Borghesia Virtus, ac Gloria deposcebat. Petros,
Salustios, Eusebios, Marcos Antonios, quorum nomina triumphi lo-
co sunt, tot palmarios Duces, quorum trophæis Romanum ipsum
laboraret Capitolium, et quibus longe lateque tua præfulgens Aula,
in Capitolium quodammodo evasit; Tot Cardinales amplissimos,
Purpure ipsius, purpuratique Collegii lumina; Tot Roma Senatores;
Tot Scriptores locupletissimos, quorum una tantum ætate triginta nu-
merati sunt, quique Martialibus lauris Palladias laureas innexuerunt;
Tot denique domi, bellique viros celebratissimos præterire co-
gor in-vitus; Si enim singulos suis exornare vellem laudibus, non
modo longus, sed infinitus prope forem. Non iis vero se contineri
limitibus, quibus Familie cujusque amplissimæ gloria fere omnis
comprehenditur, Borghesia Virtus passa est. Cœlum Illa sibi metam
præfixit, ac vulgarem, utpote cum aliis quoque sibi communem
esse

esse gloriam duxit, qua ab armis proficiſceretur, ac literis, niſi
Sanctimonia etiam laurea floreret, Seque omni ex parte admiran-
dam redderet ac singularem. Quot enim Illa ſacris ordinibus Du-
ces Sanctiſſimos, quot Cœlo Incolas feliciſſimos dedit, qui factis Fa-
mam onerant, et quorum votis aræ onerantur! perinde quaſi cum
jam nomine, rebusque præclare gestis Terram impleviſſet, unum
Illam Cœlum capere, atque complecti poſſet. Catharinam Senensem,
quam nominasse, Ipsiſus, tuaeque familiæ maxiſi encomiū loco eſt,
volens lubensque prætereo, cum ſatiſ ſeipſam ſuperque ex ſeſe
commendet. Unam tibi propius conſanguinitate junctam præterire
tacitus nullo modo poſſum; Venerabilem Camillam Ursinam Bor-
ghesiam loquor, quam ſupra virum Virtus, ſupra ſeipſam Pie-
tas, ſupra Mortalium conditionem adeo e-vexit Sanctimonia, ut il-
lam in Beatarum album ab Eccleſia ascribi exoptemus omnes, et
expectemus. Parum quippe Familiae tuae fuifſet tot Heroes recenſe-
re, niſi Heroides etiam Sanctiſſimas procreaſſet. At injuriam me,
nec levem, Maximo Illi Eccleſiae Hierarchæ Paulo Quinto irrogaf-
ſe, merito quis obtruderet, ſi dum Majores tuos Sanctimonia com-
mendatiſſimos commemoro, Eum ingrato in volvi silentio patiar,
qui Pietate maximam Dignitatem ſuperauit. Illum enim, Ciacconio
teſte, Baronius, aliisque purpurati Patres cordatiſſimi in Conclavi
Sanctum Hominem unanimi calculo inclamarunt. Illius Pietatem
cum cetera pia, munificenſiſſimaque ſui relictā Rome monimenta,
quorum nulla eſt memoriam vetuſtas deletura, teſtantur; tum ſo-
lemnis ille, nullaque ſatiſ laude celebrandus moſi institutus, ut qua-
draginta horarum ſpatio in Eccleſiis Fidelium venerationi Sacra in
Orbem Synaxis exponeretur. Omnia vero hæc, que raptim car-
ptimque de Tuis delibaui, Princeps Excellentissime, cum mecum
ipſe tacitus reputo, in eam adducor ſententiam, ut adverſas Tibi
Naturam, ac Fortunam fuiffe obſfirmate pronunciem; In magnam
ſiquidem Illa periculofamque aleam Te conjeſcit, dum ex laureato
ſanguine, ac maximis Te Majoribus procreando, omnem preclu-
ſiſſe Tibi aditum videri potuit, quo te ultra factis extenderes;
Hæc vero dum in Tuis amplificandis adeo laborauit, in iis opes

exhausisse suas om̄es est visa, ac de Te ipso malemereri, Quem
Majoribus tuis primas cogeret deferre, iisque non tempore minus,
quam honoribus concedere. De hoc, ita mecum ipse ajebam, ac
tantum non indignabar, de hoc cum Fortuna conqueri sua, de hoc
unice dolere potest Princeps ceteroqui felicissimus, quod nullus sibi
relictus sit locus, ut aliquid tantæ gloriæ fastigio addat de suo.
Verum ipsa hæc expensa melius, ut falsum animi me deprehen-
derem, meque ipsum increparem, fecit opinio. A Maximis Te
majoribus Natura, ac Fortuna procrearunt, ut Te docerent, ma-
ximos Tibi esse superandos, nisi velles a majoribus Tuis degene-
rare. Et superasti sane, bona illorum pace dixerim, Majores tuos
superasti. Illorum hæres ex aſſe, transmissam ab Illis cum sanguine
in Te virtutem auxisti, atque a vitiis laudibus cum fœnore Ap-
pendix accedit amplissima. Debes Tu Illis multum, quod Tibi Vir-
tutis, Gloriæque semitam veluti straverint; Debent Illi Tibi ma-
xime, quod glorioſores Ipsos reddideris, cum in Te Neapolitani
Regni Proregem widerint invictissimum, ad quem Honoris gra-
dum ascendere, Eorum ante Te contigit Nemini. Laborabunt Po-
steri, ut credant tot illorum egregia facinora, tot honorum præro-
gatiwas; At laborabunt magis, ut ab uno Te Eos omnes supera-
tos aſſe-verent. Quanto autem fores ius omnibus inter vallo præsti-
turus, jam inde a Puero totus ac statim ostendisti. In purpura,
ac lauros inter reptans, dum eorum triumphis longo ordine in Au-
la spirantibus oculos implebas, mente supra etatem præditus, Eos
adamussim tibi exprimendos proponebas; atque in ipſa ad oculorum
suspendium adolescentia expressisti. Nunquam honorum aura in Fa-
ſtus syrtes abreptus, nunquam inter lenocinantis aulae blandimenta,
vel latum unguem aut digitum transversum a Virtute comite disce-
dens, inter Fortunæ obsequia, Fortunæ obsequutus nunquam. Totus
in animo virtutibus excolendo mentem politioris literaturæ præſidio
ornando, maximum tui in ipso Juventutis tuae flore Europæ pene
uni-versæ spectaculum dedisti, cum eam perlustrans laudibus tuis
magis, quam passibus signasti. Ecquis enim doctissimus vir uspiam
floruit, quem Tu sapientia tua in Tui admirationem non converte-
res?

res? Ecquis Princeps, quens Tu morum suavissimorum elegantia
non Tibi arctissime devincires? Ætate vero proiectus, eo etiam
proiectus es virtutis ac gloria, ut supra maiores tuos ac Te ipsum
assurrexeris, Illos semper, ac Te magis magisque in dies superan-
do. Acris in intelligendo mentis perspicacia, labefactata nunquam
constantia, solers in agendo Prudentia, summa erga omnes Humanitas,
Te eque infimis, mediis, ac summis carum reddiderunt,
ipsamque vel In-vitis extorserunt admirationem. Difficillimum il-
lud visu Felicitatis ac moderationis Contubernium in Te ipso ex-
hibuisti. Testis est Roma, que Te ut præclarissimum sui lumen
complexa, ut integerrimis ornatum moribus semper est venerata.
Testis est Neapolis nostra, cui Prorex es ita egregie nuper mode-
ratus, ut Tui desiderium omnibus reliqueris, tuarumque virtutum
imaginem omnium altius insculptam animis impresseris; adeo Te
omnibus facilem, atque obvium præbuisti, adeo Te Egenorum Pa-
rentem, Scelerum Vindicem, Innocentie Servatorem, Justi, Recti-
que Tenacem Principem præstitisti: Fastus porro ac pompa hostis
infensissimus, hoc unice ductus es gloria stimulo, ut benemereris de
omnibus. Ita Pauperum audiendis, exaudiendisque precibus singulis
horis, ac pene dixerim momentis paratus, ut Tibi somnum, ac ci-
bum identidem furarere, quo omnium excubares commodo, nullius
indormires calamitati. Testis, inquam, est Neapolis uni-versa, que
nihil in tanta dignitate inesse sibi Supercilii, elato ipsa Supercilio sus-
pexit, atque in ipsa majestate unam Te ignorare majestatem; que
inter tam dubias demandatae Provinicie Syrtes secunda semper au-
ra expeditissimo ad gloriam velificantem cursu aspexit. Que defi-
niendo imparem se adhuc fatetur; Bonis ne magis acceptus, an ma-
lis fueris timendus? Que Tibi semper plaudere, currum obsidere
tuum nunquam desistit; hoc nempe curru ad Felicitatis se per-ven-
turam unice metam confidens. Testes sunt florentissimæ Toparchie,
Sulmonensis præsertim Urbs antiquissima, eademque præclarissima,
necnon Rossanensis, que cum non aliis Se, quam Summæ Benevo-
lentiae legibus regi sentiant, mirum quantum suo Principe gloriantur!
Testes denique sunt Filii tui præstantissimi, in quibus spiras totus,

qui

qui et) indolis suavitate , et) ingenuarum artium studiis dignos
se probant , qui a tanto Genitore progignerentur , Teque ex hac
etiam sunt parte perennaturi . Fumosas Alii Majorum imagines
ostentent , quibus tamen Ipse abundas ad fastidium , viras Ipse
tui ostentabis imagines : Depictos Alii triumphos , adumbrata telis
trophæa jactitent , spirantes triumphos , animata Ipse in Filiis tuis
trophæa jaætabis . Quæ cum ita habeant , Princeps Excellentissime ,
a quo magis , quam a Te Immortalitatem opella isthæc sibi pol-
liceretur , cuius nomen tantis est nominibus Eternitati consecra-
tum ? Hinc non tam illam me Tibi sistere , quam meis illam se
proripere ex manibus sentio , ut ultro convoleat in tuas . Magna
Illi sane , dum ad Te omni destituta ornamento convolat , au-
daciæ dicam , an incessit ambitio ? Sed ferenda sane audacia , ju-
sta incessit ambitio , dum suæ non ignara conditionis , apprime no-
scit , unice fulgere se posse de Tuo . Moratæ Theologiæ faculta-
tem illa complectens , in cuiusnam melius , quam in adeo bene
morati Principis se fidem ac clientelam reciperet ? Terrorem quo-
dammodo Majestas Illi tua debuisset incutere ; et) incusisti qui-
dem , cum primum mentis oculis tua dignitas est obversata ; at
de majestate tua tua triumphavit , que trepidanti mihi animos
fecit , Humanitas . Verebar , ne coram tanto Principe tantula isthæc
opella penitus disperareret , seque sui puderet ipsius . At hoc
ipsum in suscepto me proposito confirmavit . Quid enim ? Mo-
le illa non satis firma stat sua ? Magnitudine tua stabit : Vetu-
state obrui extimescit ? Tuo nomine , velut adamante munita ,
eandemque tecum sortem naæta , ipsa magis vetustate florescit ,
et) aduersæ cujuscumque fortunæ ictum in-victa contemnet . Li-
vidos parvet ? Ab illorum insultibus Dracone illo Hæc sese tuebi-
tur , qui in Gentilitio tuo stemmate exurgit , quiq[ue] de-victa sce-
lerum omnium , ac periculorum a Majoribus tuis monstra vel
visus testatur . A pluribus abstineo , laudibusque tuis maxime
detrahere cogor in-vitus , ne de modestia tua , que tanta est ,
quam que maxima , malemeritus hoc unice titulo Tibi videar .
Hanc igitur humanissimo dum excipis vultu , aquissimis oculis in-
tueris ,

tueris, satis quidem tueris. Nihil habet, quod extimescat, si a Te tantum aquis oculis inspiciatur: Si a Te vero habeatur in oculis, habet multum unde intumescat. Vale.

AD LICETOREM.